





Pri. II. Buch. 34.


10

16

DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA
DE

1749, 7.

**PROROGATIONE
TERMINI RETRAHENDI
BONA GENTILITIA
IN NORVAGIA,**



QUAM
FAVENTE SUPREMO NUMINE
ET

SUFFRAGANTE ILLUSTR. FACULTATE JURIDICA
PRO

GRADU LOCOQUE DOCTORIS
IN CELEBERRIMA REGIA ACADEMIA HAVNIENSI,

INTER FESTIVITATES JUBILÆAS

MORE MAJORUM RITE CAPESSENDO
EXHIBET.

**FRIDERICUS CHRISTIANUS
SEVEL,**

JURIS UTRIVSQUE LICENTIATUS, ET A SAC. REG. MAJ. SECRE-
TARIO JUSTITIE IN COLLEGIO CAMERALI SUBSTITUTUS,
PARTIBUS RESPONDENTIS

FUNGENTE
NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

HENRICO FRÖLUND.


IN AUDITORIO SUPERIORI AD DIEM XIII OCTOBRIIS MDCCXLIX.

HAVNIÆ, TYPIS CHRISTOPH. GEORG. GLASINGII,

Dr. Joh. Halg's Buchhandl. in Halle

DISSERTATIO IURIDICALIS
IURIDICA

PROLOGATIONE



Imprimatur,
P. KOFOD ANCHER, D.



HEROI

EXCELLENTISSIMO ILLUSTRISSIMO

ET LONGE GENEROSISSIMO

DNO. OTTONI
THOTT,

DOMINO DE STRANDEGAARD, LINDESWOLD

ET GAUNÖE, SPLENDIDISSIMI ORDINIS DANNEBROGICI

EQUITI AURATO, SACRÆ REGLÆ MAJESTATI DANLÆ

ET NORVAGLÆ A CONSILIIIS SANCTIORIBUS, PRIMO

PROCURATORUM ÆRARIJ REGII, NEC NON IN

COLLEGIO RERUM ŒCONOMICARUM ET

COMMERCIORUM LEGATO &c. &c.

MÆCENATI SUO OPTIMO.

HEROI

EXCELLENTISSIMO ILLUSTRISSIMO

IT LONGE GENEROSISSIMO

Dr. OTTONI

THOTT.

DOMINO DE STRANDEGAARD, LINDBESWOLD

ET CETERIS, CUIUSDAMmodo GREGORII DANNEBERGII

FIGURIS AUREIS, SACRE REGIS MAJESTATI DIGNIS

ET NOBILITATE A CONSILIIIS SANCTISSIMIS, PRIMO

PROFESSORUM AGRARIAE REBUS, HEC NON IN

COLLEGIO REBUS OECONOMICIS ET

COMMERCIORUM LEGATO S.C. S.C.

MÆCENATI SUO OPTIMO.



HEROS
EXCELLENTISSIME ILLUSTRIS
ET LONGE GENEROSISSIME
MÆCENAS OPTIME.



Heroibus & Mæcenatibus
cum leuiuscula licet & exi-
gua clientum interdum
placent munera, non diu in dubium re-
vocavi TIBI HEROS EXCELLENTISSIME

A 3

MÆ-

MÆCENATUM OPTIME, Cui proxime DEUM ET REGIUM NUMEN omnem vitæ meæ fortunam debeo, hæcæ pagellas de Prorogatione termini retrahendi bona gentilitia in Norvagia dicare. Accipe igitur HEROS EXCELLENTISSIME MÆCENATUM OPTIME leve hoc munusculum ea gratia, qua me semper dignatus es à primo tempore, quo ista mihi obtigit felicitas TIBI innotescendi. Accipe illud in perpetuum testimonium devotissimæ mentis meæ ob tot tantaque in me collata beneficia. Quod reliquum est, cœlum flagito, sicuti

cuti gratia Regis & communi subdi-
torum amore jam dudum corruscas,
eisdem ut diu & in perpetuum splen-
deas. Faxit porro SUPREMUM NUMEN,
ut TU, qui ANTIQUISSIMÆ & ILLU-
STRISSIMÆ THOTTORUM GENTIS
inclytum NOMEN & ARMA sustentas,
& MAJORES TUOS ILLUSTRISSIMOS
PIETATE VIRTUTE ET ERUDITIONE non
solum æquiparas, verum etiam longe
antecellis, ILLOS etiam ÆTATE, FOR-
TUNA, FAUSTIS ET BONIS OMNIBUS,
quibus TANTUM HEROEM unquam
ornare queat cœlum, longissime su-
peres

peres, adeo ut ILLUSTRISSIMUM TUUM
NOMEN per immortales TUAS virtu-
tes & excelsa TUA merita jam dudum
immortale factum in omnium perenne
vivat Seculorum memoriam. Hæc ex
intimis cordis mei penetralibus opto
& voveo

EXCELLENTISSIMI ILLUSTRISSIMI
ET LONGE GENEROSISSIMI
TUI NOMINIS

Cultor & Cuius devotissimus

FRIDERICUS CHRISTIANUS SEVEL

menſo me commiſſurum fore pelago, ſi pro dignitate materiæ diſſertationem quandam conſcriberem, quæ præterea ob ampliſſimum Juris retractus gentilitii Norvagici campum in formam juſti voluminis excreſceret, cui nec res anguſtæ domi nec ratio muneris mihi clementiſſimè demandati vacant. Conſilium igitur mutavi, & hac vice præfertim de *Prorogatione termini retrahendi bona gentilitia in Norvagiâ* pauca, prouti illud permittere poteſt & breve, quo circumſcriptus ſum, tempus & leve meum ingenium, diſſerere conſtitui. Non vero eſt L. B. cur a me feſtinante & homine, qui otiis academicis dudum valedixi, eruditam & pro gravitate materiæ elaboratam exſpectare velis diſquiſitionem, quæ virum ætate, experientia & eruditione me longe antecedentem poſtulat auctorem. Infantia igitur & tenuitati ingenii mei, ut pro connata Tua æquitate & benevolentia ignoſcas, rogo &

- - - veniam pro laude peto, laudatus abunde
ſi tibi Lector non faſtidius ero.

Q. D.



Q. D. B. V.

Differtatio Inauguralis Juridica

de
Prorogatione termini retrahendi bona gentilitia in Norvagia.

SECTIO PRIMA

DE

RETRACTU IN GENERE EJUSQUE
VARIIS SPECIEBUS.

§. I.



Non nostrum hic erit, utpote qui brevitatis curam quam maxime habemus, & in materia Juris Norvagici versamur, rationem denominationis vocis RETRACTUS indagare ejusque varias appellationes vel in vasto Juris Romani volumine vel in Commentariis Juristorum occurrentes adducere & explanare, quæ vel centies repetitæ sunt, & præterea in Jure Nostro Norvagico nullum prorsus

B 2

præ-

præbent usum. Qui autem de hisce informari cupit THEODORUM REINKINGIUM de *Retractu consanguinitatis Questione 1. §. 2. ad 8. usque*, SAMUELEM STRYCKIUM in *Tractatu de Successione ab intestato Diss. 6. Cap. 1. §. 2. & 3.* aliosque qui de retractu ex instituto egere, quorum uberrimum catalogum exhibet Ill. BUDERUS in *Bibliotheca Struviana Juris selecta pag. 200. & 201.* & MARTINUS LIPENIUS in *Biblioth. Real. Jurid. Tit. Retractus & Protimiseos jus* consulere potest. Nec necessarium fore existimamus multum in antiquitate & origine retractus inter gentes inquirere: sufficit tantum monuisse in Politia Israelitica Jure Divino seu Legibus Mosaicis constitutum & receptum fuisse Jus retractus, id quod vel ex *Lev. 25. v. 25. Ruth. Cap. 4. v. 4. & seqv. Jerem. 32. v. 7. & seqv.* satis patet. Magis autem nobis conuenit, ut accuratam & distinctam habeamus Juris retractus notionem, hic considerare, quid sit JUS RETRACTUS?

§. 2.

Est ergo JUS RETRACTUS *facultas pacto vel lege alicui competens bona immobilia vendita vel simili modo alienata equali pretio eisdemque conditionibus intra certum tempus redimendi.* Cum hoc JURE RETRACTUS non confundendum est JUS REVOCANDI, quod est *facultas lege competens bona immobilia quocunque modo alienata, nulla bonorum data refusione, intra terminum præscriptioni præfixum repetendi.* Tale Jus revocandi COMMITIBUS & BARONIBUS nostris qua *Vasallis* competit circa bona feudalia alienata: Successori circa alienatam vel saltem opignoratam sedem gentilitiam, quam vulgo *Stamhuus* appellamus *Art. 65. Cap. 2. L. 5. Cod. Christ.*

Christ. & Dan. & Norv. Marito, vel illo deficiente aut nolente, hæredibus uxoris circa fundum uxoris marito & hæredibus inconsultis & inuitis ab uxore alienatum. *Art. 9. C. 3. L. 5 Cod. Christ. Dan. & Art. 23 ej. Cap. & Lib. Cod. Christ. Norv.* Differunt vero **JUS RETRAHENDI** & **JUS REVOCANDI** potissimum in illis: *Primo* **JUS RETRAHENDI** tantum locum habet in emtione venditione vel simili contractu oneroso. **JUS REVOCANDI** vero nullum facit discrimen sive lucrativo sive oneroso titulo possidet alter, sed extenditur ad bona quocunque modo alienata. *Secundo* **RETRAHENS** idem precium easdemque condiciones præstare tenetur, quas literis promisit extraneus emtor *Art. 2. Cap. 3. Lib. 5. Cod. Christ. Dan.*, vel si in possessionem alterius jam translata sit res, juxta arbitrium bonorum virorum possessori satisfacere debet *Art. 24 & 25. Cap. 3. Lib. 5. Cod. Christ. Dan. & Art. 5, 37 & 38. Cap. 3. Lib. 5. Cod. Christ. Norv.* nisi literis probari potest, quanti emerit alter *Art. 5. Cap. 3. Lib. 5. Cod. Christ. Norv.* habita tamen meliorationis & deteriorationis ratione juxta *Art. proxime cit. item Art. 16 ejusd. Cap.* **REVOCANS** vero alienata repetere potest bona, nulla illorum data revocatione *Art. 65 Cap. 2 Lib. 5 Cod. christ. & Dan. & Norv. Art. 9 Cap. 3 Lib. 5 Cod. Christ. Dan. & Art. 23 Cap. 3. Lib. 5. Cod. Christ. Norv.* *Tertio.* **JUS RETRAHENDI** regulariter exercendum est intra annum & diem *Art. 1. Cap. 3. Lib. 5. Cod. Christ. & Dan. & Norv. item Art. 3. & 5. Cap. 3. Lib. 5. Cod. Christ. Norv.*, id est annum & sex septimanas *Art. 4. Cap. 2. Lib. 5. Cod. Christ. & Dan. & Norv.* **JUS** vero **REVOCANDI** saluum manet, si modo intra terminum præscriptionis exerceatur. *Art. 9. Cap.*

Cap. 3. Lib. 5. Cod. Christ. Dan. § Art. 23. Cap. 3. Lib. 5. Cod. Christ. Norv. Quarto RETRAHENS meliorationes refundit Art. 16. Cap. 3. Lib. 5. Cod. Christ. Norv., REVOCANS vero nunquam. Quinto JUS RETRACTUS competit etiam remotioribus, proximioribus modo nolentibus. REVOCANDI autem JUS nemo, nisi ei competit successio, habere potest. Sexto retractui obnoxia alienata statim obtinet RETRACTUS. JUS REVOCANDI vero ut plurimum non nisi mortuo priori possessore alienante. Has differentias non satis observasse videtur HENRICUS WEGHORSTIUS in versione Art. 9. Cap. 3. Lib. 5. Cod. Christ. Dan. verba RETRAHERE & REVOCARE promiscue adhibens.

§. 3.

Pariter a JURE RETRACTUS distinguendum est JUS PROTIMISEOS. Quod est facultas alicui pacto vel Lege competens prohibendi possessorem, ne antequam denunciaverit rem suam vendat, & eum cogendi, ut sibi potius quam alteri vendat. Hinc liquet, quod JUS PROTIMISEOS venditionem præcedat, & tantum contra venditorem ad denunciandum pacto vel lege obligatum detur. JUS RETRACTUS vero e contrario post peractam & completam venditionem vi JURIS PROTIMISEOS demum comperit, & facultatem alienata redimendi etiam a tertio possessore tribuit. Cum tali modo ex JURE PROTIMISEOS oritur RETRACTUS, & ob neglectam denunciationem plerumque exercetur Art. 1. Cap. 3. Lib. 5. Cod. Christ. Dan. per se clarum est JUS PROTIMISEOS a JURE RETRACTUS ve-
luti

Inti *causa* ab *effectu* differre. Cæterum hæc ita inualuit terminorum confusio, ut hodie JUS RETRACTUS & JUS PROTIMISEOS sapius a Jctis promiscue usurpentur. SAMUEL STRYCKIUS *de successione ab intestato. Disp. 6. Cap. I. §. 3.*

§. 4.

PACTO vel LEGE cum competit JUS RETRACTUS, apparet illud vel PACTITIUM vel LEGALE esse. JUS autem RETRACTUS PACTITIUM est *facultas vi pacti iniri cum emtore, in cujus dominium res translata fuit, venditori competens bona a se vendita vel simili modo alienata certo pretio certisque conditionibus intra tempus, de quo conueniunt, redimendi.* Prouti vario modo & sub variis conditionibus pacta iniri queunt, ita etiam variæ pro diuersis pacti conditionibus sunt *Juris retractus pactitii* species, quarum duas saltem præcipuas & maxime obuias hic memorare placet: Vel sibi & hæredibus suis eaut venditor, ut quodocunque vel intra certa tempora, emtori si pretium obtulerint, res vendita illis restitueretur l. 2. C. *de pact. inter emt. & vend.*, quod dicitur PACTUM DE RETROVENDENDO. Vel ita cavet uenditor, ut emtor, si vendat, non alii sed uenditori distrahat l. 75 ff. *de contrab. emt.* quod appellatur JUS PROTIMISEOS, & operatur, ut emtor venditori denunciât, antequam vendit, qua facta denunciatione, rem demum retrahere potest venditor, nec minus illa neglecta, modo res vendita in possessionem noui emtoris nondum translata sit. Differunt inter se PACTUM DE RETROVENDENDO & JUS PROTIMI-

TIMISEOS tali modo : Ex pacto de retrouendendo, emtor, ut vendat, cogi potest, secus ex jure protimiseos : Deinde ex pacto de retrouendendo eodem pretio, quod dedit emtor, redimit venditor, habita meliorationis ratione, ex pacto vero protimiseos tantum soluit quantum tertius offert G. Beyeri Delineatio Juris Ciuilitis Tit. J. de emt. vend. post. 38. nota T. Caterum de Jure retractus pactitio notandum est, quod tantummodo sit personale, & ultra personas paciscentium uel illorum hæredes, si per pactum idem jus illis stipulatum fuerit, vix extendi queat, hinc morte primi venditoris ejusque hæredum cessat, nec minus si res vendita in dominium tertii translata fuerit.

§. 5.

JUS RETRACTUS LEGALE quod attinet, est facultas certis personis ipso jure competens bona immobilia vendita aut simili modo alienata equali pretio eisdemque conditionibus intra tempus Lege definitum redimendi. Retractum cum ex variis causis concedunt Leges, diuersæ exinde oriuntur species juris retractus legalis. Quarum illas tantum, quas nobis suppeditant LEGES DANO-NORVAGICÆ, hic memorare vacat. Ita ex capite vicinitatis, quod JUS CONGRUI etiam appellant Romani Jcti, Domino villæ fructuaria vel maximam ejus partem possidenti concedunt LEGES DANO-NORVAGICÆ JUS RETRAHENDI bona vel Jura ad villam pertinentia, & æris alieni gratia creditoribus in solutum data, nisi ille, cui in solutum data sunt, fructuariam possideret villam, cui commode annexi queunt. Art. 22 & 23. Cap. 3. Lib. 5. Cod. Cbrist. Dan. Art. 35. Cap.

Cap. 3. Lib. 5. Cod. Christ. Norv. Deinde ob societatem Patrono prædii, seu cui competit jus operarum Hertigshedens Eyere pensionem rusticam Landgilden, quæ ad alium pertinet, vel etiam huic illo nolente Art. 24 & 25. Cap. 3. Lib. 5. Cod. Christ. Dan. & Art. 37 & 38. Cap. 3. Lib. 5. Cod. Christ. Norv. ubi singulare istud & in jure retractus alias insolitum observari meretur, quod, altero nolente, non eodem pretio, quod ille dedit, emat retrahens, sed, quantum viri boni arbitrati fuerint, solvere debet: Creditori in bona misso intra sex menses bona, in quæ alius prior missionem obtinuit, potiori tamen gaudet jure prius immixtus Art. 8. Cap. 6. Lib. 5. Cod. Christ. & Dan. & Norv. Denique ratione consanguinitatis **JUS RETRACTUS GENTILITII** seu **CONSANGUINITATIS** dictum, quod in DANIA tamen non obtinet, nisi in tribus Juridicis fundum vendendum consanguineis proximis, quibus eo mortuo defertur hæreditas, judicialiter offerre neglexerit rusticus proprietarius vendens Art. 1. Cap. 3. Lib. 5. Cod. Christ. Dan. Nec tunc demum nisi proximis consanguineis, qui mortuo venditore jus succedendi habent **Hans nasse Strandter, som hannem stille arve** competit jus retrahendi. Adeoque his nolentibus vel paupertate vel alio modo impeditis, remotiores retrahere nequeunt, licet aliter sentiat **GENEROSIS-SIMUS HANS LEOPOLDUS RANZOWIUS** in *Treatatu de præcipuo quod viduis Nobilium in Ducaribus Slesvicensi & Holsatiae ex jure fascie capillaris competit* pag. 120 nota A. Remotiores autem hoc casu jus retrahendi olim habuisse haud improbable concluditur ex **ANTIQUORIBUS LEGIBUS JUTICIS**, quæ indistincte

C

neste

neste *Frendher* propinquieribus consanguineis **JUS RE-**
TRAHENDI tribuunt, veluti ex *Capite 34. Lib. I.* per-
 cipi potest. In **CODICIBUS** enim **MEMBRANACEIS**
LEGIS JUTICÆ verba ita jacent **Bonde ma sin**
eghen Jord selie hvem som han wil om han Lagh
bood a Tredie Thingh oc sine neste Frendher,
 quod etiam **KANUTUS EPISCOPUS WIBURGEN-**
SIS eadem prorsus verba habens in textu Danico ita
 reddit. *quilibet potest terram propriam vendere, si eam*
vendendam exhibuerat **SUIS PROPINQUIORIBUS COG-**
NATIS in tribus placitis. Et **GENEROSISSIMUS E-**
RICUS KRABBE in versione Germanica *Legis Juticæ*
Ein jeglicher Hawswirth mag seine eigene Güt-
ter, ohne jemens Verhindrung verkauffen,
wehme er will, ob er sie zuvorn seinen negsten
Freunden auff drey Gerichts Thage zum Dinge
Fehel geboten hat. **RECENTIORIBUS** autem
LEGIBUS JUTICIS arctius euasit **JUS RETRACTUS**
GENTILITII, vel si maus, magis determinatum est
 quid per *naeste Frender proximos consanguineos* intelli-
 gendum, cum **CONCINNATORES** vel **REUISORES**
LEGIS JUTICÆ sub **CHRISTIANO QUARTO** Glo-
 riosissimæ memoriæ hæc addidere verba **de der han-**
nem arve stulle ei successuri, quæ seruat **CODICIS**
CHRISTIANEI HODIERNI ARTICULUS I. Cap. 3.
Lib. 5. ex CITATO CAPITE 34. LEGIS JUTICÆ
 desumptus. Latius autem se extendit **JUS RETRA-**
CTUS GENTILITII seu **CONSANGUINITATIS IN**
NORUAGIA, uti jam sequenti sectione ulterius mon-
 strandum.

Se-

SECTIO SECUNDA,

DE

RETRACTU GENTILITIO SEU CONSANGUINITATIS NORUAGORUM IN SPECIE.

§. 1.

JUS RETRACTUS GENTILITII seu **CONSANGUINITATIS NORUAGORUM** vernacula illorum **Odelis Rett** est facultas consanguineis venditoris *Jure sanguinis competens remotiori vel peregrino vendita aut simili modo alienata prædia antiqua aviatica Norvagiæ Odel dicta eodem pretio eisdemque conditionibus, quibus vendita fuere intra tempus lege definitum redimendi.*

§. 2.

Verfatur ergo **JUS RETRACTUS GENTILITII SEU CONSANGUINITATIS NORUAGORUM** tantum circa **PRÆDIA ANTIQUA AVIATICA**, quæ Norvagi hodie illorum vernacula **Odel** appellant, antiquis **Odul, Odal & Odhel** ni fallor ab antiqua potius voce **GOTHICA Aud** proprium, possessio, opes, unde **Audur** divitiæ, antiqua patrimonia veluti **Upsala Audur** antiqua patrimonia **Upsaliensia**. ut illud reddit **JOHANNES PERINGSKIÖLD** in versione latina **Snorronis Sturlesonii** Cap. 12. **Ynglinga Saga**. & hinc inde **Odul, Odal & Odel** **GEORGIUS STIERNHJELM,**

in *Glossario Ulpila-Goibico ad vocabulum Nufan*, quam à voce **Oda** Ania materna, ut vult **TORMODUS THORFÆUS** Tom. I. *Historie Norvegicæ* pag. 231. vel uti habet **ANDREAS BUSSÆUS** in *Lexico vocum antiquarum Arii Polyhistoris* sub voce **HERSIR**. nempe ab **Hauldur.**, qui, seu ex **EDDA** **JSLANDORUM** Tir. de *Regionum Aliquot nominum origine*, & Capite 61. **Menn stila um almenninga** Libri **Landis Leigu Bolfr. CODICIS GULATINGENSIS** patet, est Bondo in bona gentilitia tam paterna quam materna succedens, mediumque locum inter **Hersir** & colonos tenens: Quod rite obseruat laudatus **THORFÆUS** in *Historia rerum Orcadensium* pag. 17. & *Historia Norvegica* Tom. 2. pag. 50. licet eum reprehendat **JACOBUS WILDE** in *Historia Sueciæ pragmatica* pag. 274. existimans pluribus a se inuicem distare gradibus **HERSEROS** & **HAULDOS**. Id quod quidem satis bene se habet, si **HERSEROS** qua **OFFICIALES REGIOS** considerare velis, tunc enim **LENSMANNI**, **CANCELLARIUS**, **STALLARIUS**, **MERCHISMANNUS** &c. **HERSEROS** proxime sequebantur, ut copiose docet **Jll. JOHANNES PETRUS ANCHERSEN** in *Jure publico & feudali veteris Norvegicæ*, & **HAULDIS** in nullo constitutis officio majori gaudebant dignitate. Si vero **HERSEROS** qua **NOBILES** consideraueris ratione nobilitatis proximum ab illis tenebant locum **HAULDI**, quod his verbis loco citato probat **EDDA**, cum de **HERSERIS** sermo fuerit **Hier nast eru their Menn er Hauldar heita, thed eru Vandur, their er gilder eru ad attum oc Ratsum fallum.** ☞: hos proxime sequuntur viri illi, qui **Hauldar** appellantur, sunt **Bondones** genere & dignitate clari: Sed a diuerticulo in viam.

§. 3.

Quæ prædia pro antiquis aviaticis habentur declarat Articulus I. Cap. 5. Lib. 5. Cod. Christ. his verbis **Dend Jord kaldes Odels Jord, som haver ligget under et Vtlag udi Tyve Vintre eller langer.** Ille fundus vocatur aviaticus antiquus, qui in dominio ejusdem stirpis per viginti hyemes & ultra fuerit. Dominium plenum hic requirere Leges, vel ex sequentibus ejusdem articuli verbis liquet **uden hand havde den til Pant, eller Forleening eller i Forsvar nisi pignoris vel beneficii jure illum tenebat, vel in fidem ac tutelam ejus commissus fuit.** Per viginti hyemes viginti anni continui intelliguntur, gentes enim septentrionales majores nostri annos suos per hyemes computauere, quod vel ex historia & Legibus antiquis adeo notum est, ut exempla profèrre minus necessarium videatur. Rationem vel potius in re tam antiqua & obscura conjecturam hujus computationis affert clarissimus **OLAUS WORMIUS in fastis Danicis p. 16. nempe ob superatas tot hyemis molestias & frigoris asperitates.** Sed, num acu rem tetigit vir celeberrimus & in antiquitatibus patriæ versatissimus, nescio: Inclementiæ enim aëris hyemalis adeo affuefacti erant Septentrionales, ut nullam frigoris habuerint rationem: *Maximo enim frigore teste POM- PONIO MELA l. 3. c. 3. nati agunt, antequam puberes sint, & longissima apud eos pueritia. Viri sagis velantur, aut libris arborum, quamuis seua hyeme.* Nec minus illorum patientiam in frigore sustentando miratur **LUCIUS ANNÆUS SENECA de ira l. I. cap. II. Germanis inquit quid induratus ad omnem patientiam? ut quibus magna ex**

C 3

parte

parte non tegumenta corporum prouisa sunt, non suffugium aduersus perpetuum cæli rigorem. Ut de TACITO & CÆSARE aliisque taceam, qui Germanorum patientiam in frigore sustentando & duritiem jam laudant jam mirantur. Cum autem annum civilem a nocte inter vigesimum quartum & quintum Decembris *Modranect* vel *Madrenect* illis dicta adeoque circa tempus solstitii brumalis & cum hyeme incipiebant majores. *WORMIUS* in *Fastis Danicis* pag. 37. verosimile videtur illos à primo anni tempore totum denominasse annum, veluti hactenus faciunt *ISLANDI* per *Sola Nætur* computantes, siquidem a festo natiuitatis SALVATORIS *Iuul* nouum ordiuntur annum. Quam tamen nostram coniecturam nemini obtrudimus. Ultimo notandum quod, si prædia antiqua auiatia prædiis antiquis auiaticis alterius familiæ mutantur, prædia, quæ in tali mutatione quilibet mutantium accipit, accipientis ejusque familiæ fiant auiatia, secus si non auiaticis permulentur, Argumentum *Art. I Cap. 5. Lib. 5.* Ex jam dictis liquet, quod prædia fiant auiatia possessione vicennali ejusdem familiæ, & e contrario, quod tunc demum auiatia prioris familiæ esse desinant, si extra familiam vendita in possessione alterius familiæ per vicennium fuerint.

S. 4.

Olim ad antiqua prædia auiatia referebantur primo prædia, quæ in dominio ejusdem stirpis fuere per sexaginta hyemes vel ultra juxta Regis MAGNI *ERLINGI* seu *CORONATI* *Nouellam constitutionem Rætebod* dictam uti habet *Codex Gulatingensis Cap. 2. Ulu Odals Jarde*

Jarder Manna Lib. Qanda bigdi bolfr. Tantum & tam amplum temporis spatium in præscriptione apud nullas gentes, quantum nobis cognitum, alias receptum, **LONGOBARDOS** si exceperis, qui non nisi sexaginta annorum possessione contra Regem præscribere poterant per **Leges LIUTPRANDI Lib 6. Cap. 24.** apud **PETRUM GEORGISCH** in *Corpore Juris Germanici Antiqui* pag. 1067. videtur **MAGNUM ERLINGI** constituisse præcipue in favorem eorum, qui ob intestina, quibus & ante & sub ipso **MAGNO** misere laboravit Noruagia, bella patriam relinquere, ne novi possessores tam facile præscriberent, & tali modo illos in patriam tandem reduces factos a Jure retractus præcluderent. Substitit hic a **MAGNO ERLINGI** constitutus terminus ad tempora usque **CHRISTIANI QUARTI**, juxta cujus emendatum Codicem sufficiebat triginta annorum possessio *Cap. I. Landbreidi vel Odelis Balsen.* Secundo pro antiquo auiatico habebatur fundus alicui a Rege datus, nisi donatione aliter a Rege cautum fuerit *Codex Gulatingensis loco cit.* nec non fundus Regi datus per *cit. Cap. Cod. CHRISTIANI QUARTI.* Tertio juxta dictum Caput Codicis *Gulatingensis* prædium, quod per tres generationes filio a patre continuo relictum, & jam nulla interveniente prædii permutatione ad quartam pervenerit. Intelliget vel maxime in dominio stirpis per sexaginta annos non fuerit, alias enim nulla foret differentia inter primam & hanc tertiam speciem prædiorum gentiliciorum seu auiaticorum, nec ullus favor lineæ descendenti præ ascendenti & collateralis, quem hic intendere **Leges** luce meridiano clarius est. Id quod non satis ob oculos habuisse videntur **CONCINNATORES LEGIS CHRISTIANI**

STIANI QUARTI huic §. citati Capitis addentes *oc er*
bleffuen hos dennem ulast oc ukierd, saa lenge
som forstreffuit staar o: sine ulla interpellatione judici-
ali in illorum dominio fuit per tempus supra dictum, id est
per triginta annos. Cæterum videt. Cap. Cod. | Christ. 4.
sufficit si per duas generationes filio a patre relictum sit
prædium, & jam ad tertiam peruenerit. Denique de
quarta bonorum gentilitiorum specie ira loquitur CO-
DEX GULATINGENSIS §. ultima Capitis sepius laudari.
Su er hin fiorda er men skiptaz Odals Jordum
sin amillum, en eigi Odalom annara manna oc
nerde hat huars Odal' er a þui skipti far. In
voce skipta æquiuocatio latet, vel enim skipta sumitur
pro hæreditate diuidere at skifte og deele, holde
skifte & hic erit sensus Legis: Quarta Species est: Si
qui prædia sua auatica inter se diuidunt, quæ non sunt
tertii, tunc quæ tali diuisione quilibet accipiat illius erunt
auatica. Vel sumitur verbum skipta pro permutare
at skifte, at bytte, & sic ita intelligenda sunt
verba: Quarta Species est, si qui prædia sua auatica inter
se permutant, quæ non sunt tertii, tunc quæ tali permuta-
tione quilibet accipiat illius erunt prædia auatica. Prio-
rem sententiam sequitur JANUS ALEXANDRI HOPPENE-
RUS in annotationibus ad Codicem Noruagicum Christiani
Quarti existimans quod alias certi non essent hæredes,
ne alius ex familia bona diuisione hæreditatis accepta
retraheret. Sed fallor aut errat Vir Celeberrimus, nam
quem, ne retrahat, veretur hæres, aut æquali gradu
cum hærede a defuncto distat, aut remotiori: Si re-
motiori, nullum habet Jus retrahendi, potius enim est
Jus proximioris, adeoque quin accepta retineat hæres
non

non dubitandum, minus ergo necessarium & superfluum foret, si hoc casu quid in securitatem hæredis cauere vellent Leges. Si æquali, hæreditatem cum hærede diuidit, & quod diuisione hæreditatis accipit prædium auaticum juxta *Caput sequens 3* *Ulm* *Odels* *skripti* de cignar a nemine hæredum retrahi potest. Porro nullam uideo rationem, cur hanc ut a cæteris diuersam speciem ponerent Leges si per *ro skipta* intelligerent *hæreditatem diuidere*: Nam si prædia hæredibus relicta fuere gentilitia ea possidente demortuo, sane etiam extra omnem dubitationis aleam positum est, quod sint gentilitia hæredum, adeoque manent & non fiunt auatica, nec nouam & a cæteris diuersam constituunt speciem. Sed cum dubitari potest, num bona gentilitia gentilitiis alterius mutata pro gentilitiis amplius sint habenda, cum bona, quæ quilibet mutantium accipit, a tempore factæ mutationis eorum esse incipiunt, & siquidem non tempore lege definito in dominio eorum fuere, nec aliter ac bona nouiter acquisita considerari possent, nisi huic dubio obicem posuissent Leges constituendo, quod bona gentilitia, quæ pro suis gentilitiis mediante mutatione aliquis acceperit, illius essent gentilitia. Hinc per *ro skipta* non *diuidere* sed *mutare* intelligendum. Quo etiam sensu sumptum esse a CONCINNATORIBUS CODICIS CHRISTIANI QUARTI, vel hæc Codicis indicant verba: *For det fierde kaldes det Odels Jord, som nogen skifter sig til af andre, oc giffuer hannem sin Odels Jord for igien.* Quarto fundus ille vocatur gentilitius, quem quis ab altero pro fundo suo gentilitio accipit. Unde ut dictum

D

re-

remoueat^r dubium de mutatis bonis gentilitiis, de-
sumpta sunt ultima verba *Art. 1. Cap. 5. Lib. 5. CODICIS*
CHRISTIANI QUINTI *Der som nogen stifter sig saa-*
dant Odels Guds til af en anden, og giver han-
dem sit Odels Guds derfor igien, da bliver det
hver til Odel, som hand i samme stifte fanger si
quis mutatione praedium alterius gentilitium adquisuerit, eique
suum reddiderit praedium gentilitium, tunc quod quilibet
eorum hac mutatione acceperit, praedium cuiuslibet eorum
erit praedium gentilitium.

§. 5.

Antequam vero locum obtinere queat Jus retra-
ctus gentilitii, requiritur, ut vendita vel simili modo
alienata sint bona gentilitia seu auiatica. Huc referen-
da ueniunt bona in solutum data *Art. 9. Cap. 3. Lib. 5.*
Bona ad certum tempus oppignorata & intra termi-
num non redempta *Art. 15. cit. Cap.* Bonis autem
non gentilitiis vel re quadam fungibili permutata retra-
ctui num etiam obnoxia quaeritur? de gentilitiis enim
mutatis nulla amplius esse potest quaestio per *Art. 1.*
Cap. 5. Lib. 5. In priori casu, nempe si praedium gen-
tilitium alio non gentilitio mutatum fuerit? retractum
concedit **CODIX CHRISTIANEUS** *Art. 10. Cap. 3. Lib. 5.*
Dil nogen holde sig for Losnings Mand til no-
get Odels Guds, som en anden haver kjøbt eller
mageskift sig til, der var fremmet eller ej saa
nær som hand. *Si quis existimat sibi competere Jus re-*
trahendi bona gentilitia, que PEREGRINUS vel remotior
emione

emtionem aut MUTATIONE possidet. Non ulla alia quam gentilitia non gentilitis mutata quin intelligat GLORIOSISSIMUS Legislator, nemo non videt. Cum prædia, quæ, mutatis gentilitiis aliis gentilitiis, quilibet mutantium acceperit, accipientis hæredumque ejus erunt gentilitia per *Arr. I. Cap. 5. Lib. 5.* sæpius laudatum, adeoque, tali modo facta mutatione prædiorum, Jus consanguineorum retrahendi prædium, quod ante mutationem eorum erat gentilitium, prorsus cessat & extinguitur, sed e contrario respectu prædii, quod permutati loco accepit eorum consanguineus mutans, reuiuiscit. Igitur Jus retrahendi prædia gentilitia, quæ peregrinus mutatione tenet, si habeant consanguinei? nulla alia esse possunt, quam quæ pro non gentilitiis peregrini data sunt. Posteriori vero casu Jus retractus cur ni etiam locum habeat? nullam plane video rationem: Præcipue cum retractum ob mutationem prædiis non gentilitiis factam concedunt Leges, uti jam dictum: Nec retractum ob antecedentem mutationem rebus fungibilibus interdictum esse facile præsumendum est, quod forte fraudi occasionem præbere poterat. Posito enim retractum non concedere Leges in casu, si venditor pro re fungibili gentilitium suum alienauerit prædium, nihil tunc unquam frequentius foret, quam ut in fraudem consanguineorum, quibus de Jure alias competeret Jus retractus, inter se conuenirent venditor & emtor de prædio vendito frumento vino vel re alia fungibili soluendo, ut tali modo a retractu arceantur consanguinei, & de possessione tranquilla & perpetua emti prædii certus esset extraneus emtor. Quid autem si remotiori vel peregrino donata sint bona gentilitia? *Retractum quidem*

quidem concedunt LEGES GULATINGENSES Cap.7. Sua
 stolu Honor Karlmonnem Odal bioda Lib. Vanda brig-
 di Bolfr. Nec non CODEX CHRISTIANI QUARTI Cap.22.
 Lib. Giftinge eller arffue Balcken it. Cap.6. Lib. Odels
 Balcken. Jus vero Christianeum hodiernum non æque.
 Nec regulariter concedi potest, præsupponit enim re-
 tractus gentilitius facultatem cogendi consanguineum,
 ne alteri vendat: Cum vero donantem ne alteri det,
 nunquam cogere possunt consanguinei, siquidem do-
 natio, utpote officium amoris & humanitatis, omnem
 respuit coactionem, multo minus donatarium ut sibi
 vendat cogere queunt, hic enim locum habet regula
cessante causa, cessat effectus. Suis tamen seu necessariis
 donantis hæredibus saluum erit Jus reuocandi, reliquis
 vero si ultra dimidium bonorum partem æstimatur
 prædium gentilitium, nisi pio corpori facta sit donatio,
 demum competit per Art. 14, 15 & 16. Cap. 4. Lib. 5.

§. 6.

Monstratis jam bonis in quibus obtinet Jus retra-
 ctus, & quomodo qualificata esse debeant, verbulo di-
 cendum, quibus personis Jus retrahendi indulgent Le-
 ges? & quo ordine exercendum sit? Moribus & Legi-
 bus cum non aliam ob causam introductum sit Jus
 retractus gentilitii, quam propter familiarum conser-
 uationem, ut prædia & fundi, quoad ejus fieri possit, in
 familia in qua fuerint, permaneant. JOHANNES OLAUS
 STIERNHÖÖK *de Jure Sueonum & Gothorum vetustopag. 241*
 in retractu igitur ante omnia considerandum est,
 unde bona prouenere, num agnatica an vero cognatica
 ultimi

ultimi venditoris fuere? Hoc casu cognati, illo vero soli agnati Jus retractus sibi vindicant: Quod autem ad ordinem retrahendi attinet, ille ordine successionis determinatur: Qui ergo in successione Jure prior est, ille in retractu prior erit: Ratio tamen ordinis retrahendi non tantum in persona ultimi venditoris, sed imprimis in eo, sub quo bona facta sint gentilitia, quaerenda est. Præterea inter æquali gradu constitutos major minori natu, mas fæminæ, nisi fæmina a mare majore natu descendat, præfertur. Omnibus autem prior, cæterosque, excludit, qui venditori vendidit. Arg. Art. 8. Cap. 3. Lib. 5.

SECTIO TERTIA.

DE

PROROGATIONE TERMINI RETRAHENDI BONA GENTILITIA IN NORUAGIA.

§. I.

Quia valde odiosum est Jus retractus, utpote quod facultatem illam, quæ libero homini competit de rebus suis disponendi eripit & restringit, & tali modo commerciorum libertatem impedit, & *gravis videtur injuria, ut homines de rebus suis facere aliquid cogantur inuiti l. 14. C. de contrab. emt. vend.*, retractui Leges certum præfigere terminum, inter quem nisi retrahat, cui competit Jus retractus; illud prorsus cessat & exting-

tinguitur. Terminum tantum sex mensium, a tempore scilicet oblationis judicialis computandum in retrahendo gentilitio indulgent LEGES GULATINGENSES *Cap. 4. huertu Madur skal Odal andra bioda Lib. Landa brigdi bolfr.*, nec longiorem CODEX CHRISTIANI QUARTI *Cap. 4. Lib. Odels Bassen.* Quem postea in annum & diem NOUISSIMO CODICE NORVAGICO mutavit GLORIOSISSIMUS CHRISTIANUS QUINTUS *Art. 1. 3. 5 & 6. Cap. 3. Lib. 5.* Remedium vero, quo terminus hic annalis prorogari potest, suppeditat Leges, nempe si intra terminum in Judicio legitime indicauerit consanguineus impedimentum, quo, ne retrahat, prohibetur, quale est DEFECTUS PECUNIÆ, quod a Judice in protocollo annotari curabit *Art. 2. cit. Cap.* Hoc ita judicialiter allegato impedimento, tempus retrahendi ad vigesimum prorogatur annum, si modo decimo anno eodem modo defectum pecuniæ in judicio allegauerit per *Art. jam cit.* quod vero si neglexerit, vel intra vigesimum annum non retraxerit, Jus retrahendi ei alias competens prorsus expirat *Art. 3. & 12 ejusd. Cap.* Notandum tamen quod prædium gentilitium Regi ob multam debitam in solutum datum intra decimum annum retrahendum sit. Quo ultra terminus prorogari nequit: *Art. 9. cit. Cap. 3.*

§. 2.

Terminus autem vicennalis quando incipit seu unde computandus quæritur? Num a tempore, quo consanguineis bona gentilitia obtulit venditor? Videtur quod

quod non. Quia tunc facile arctior foret terminus, quam retrahenti concedere velle videtur Legislator. Cum enim, quia in gentilitia emtoris exacto demum vigesimo possessionis anno transeunt bona ei vendita *Art. I. Cap. 5. Lib. 5.* retractum non ultra vigesimum annum prorogari permittunt Leges, prono sequitur alveo, quod consanguineis, observatis modo obseruandis, Jus retrahendi bona illorum gentilitia vendita ad vigesimum usque annum actum concedere velint. Si ergo consanguineis per jam dicta competit Jus retrahendi usque dum præscripserit emtor, & bona emta in ejus transuerint gentilitia, appareat etiam terminum vicennalem a facta oblatione computatum mente Legislatoris arctiorem esse, cum non facile aut saltem raro vel nunquam eodem die, quo offert, vendit offerens. Sed, ut eo clarius res pateat, fingamus casum, nempe Ao. 1728. d. 31 Maji consanguineis prædium suum gentilitium judicialiter offert TITIUS, quæ d. 20 Junii ejusdem anni SEMPRONIO vendit, insequenti anno nimirum 1729 die 12 Julii defectum pecuniæ judicialiter indicat consanguineus TITH CAJUS nec non Anno 1738. die 6 Aprilis. Adeoque si a facta oblatione terminum vicennalem computaueris, cessabit Jus retractus CAJI die 31 Maji 1748, licet prædium gentilitium SEMPRONIO venditum non ante 20 Junii ejus euadit gentilitium. Quod intentioni Legislatoris nunquam respondit, utpote cauens, consanguineis ut saluum factum rectumque maneat Jus retractus, usque dum præscriptione bona vendita emtoris gentilitia facta sint. Nec a tempore, quo impedimentum judicialiter professus est consanguineus, alias enim etiam retrahere poterat, postquam præscripserit emtor, & jam dudum
bona

bona vendita illius facta essent gentilitia. Nam ut retineamus casum, 1748 d. 20 Junii prædium SEMPRONIO venditum illius erit gentilitium, & tamen CAJO competeret Jus retractus usque ad diem 12 Julii 1749 quod per *Art. 1. Cap. 5. Lib. 5.* absurdum. Terminus igitur vicennalis a die factæ venditionis computandus est, quod etiam indicare velle videtur *Art. 4. Cap. 3. Lib. 5.* his verbis *og siden udi hvært Tiende Aar, efter den Tid at regne, da Jorden solgt blev* & postea *decimo quolibet anno* A FACTA VENDITIONE COMPUTANDO. Porro, si ad leges antiquissimas Norwegiæ recurrere volumus, inueniamus, quod eo usque terminum retractus prorogari posse etiam existimaverint Legislatores, quoad usque bona vendita emtoris facta essent gentilitia. Ita terminum ad sexagesimum annum prorogari permittunt LEGES GULATINGENSES *Cap. 4. Huertu Madur Skal Odal andra boda* Lib. *Landa brigdi bolst.* CODEX vero CHRISTIANI QUARTI ad annum trigessimum *Cap. 4. Lib. Odels halffen* siquidem juxta hunc triginta juxta illas vero sexaginta annorum possessio requirebatur, si gentilitia alias essent bona, ut supra §. 4. *sektionen 2.* probatum dedimus. Adeoque terminum prorogatum a die factæ venditionis etiam computauere majores.

§. 3.

Prorogatur porro terminus annalis primo in fauorem minoris consanguinei, nimirum si tutor impedimentum ejus, defectum scilicet pecuniæ judicialiter allegare neglexerit *Art. 2. Cap. 3. Lib. 5. secundo* si extra patriam

patriam agat consanguineus *Art. 4. cit. Cap. Tertio* si negotia Regia gerendi gratia extra patriam missus sit *loco cit. Quarto* si morbo aut vulnere laboret, *Art. alleg.* Denique *Quarto* si prædium gentilitium oblatum esse ignorauerit, quam tamen ignorantiam juramento probare tenetur per *dict. Art.* Majorennitate vero adeptus, vel in patriam redux factus, vel negotiis Regiis gestis, vel pristinae restitutus sanitati, vel denique de oblatione prædii gentilitii certior factus, intra annum & diem retrahere debet, juxta *Art. jam laudatum.* Ulterius autem novus hic annalis terminus prorogatur, nempe si intra terminum defectum pecuniæ judicialiter allegauerit consanguineus *vigore Art. ejusd.* Ob allatas vero causas prorogatus terminus quousque extendendus? Dubiosum videtur, præcipue cum in Legibus magnus communiter observatur fauor MINORUM, ABSENTIUM, ÆGROTANTIUM ET IGNORANTIUM, quibus utpote *non valentibus agere nulla currit præscriptio.* Rebus autem rite consideratis apparet, quod non ultra vicennium a die factæ venditionis prorogari possit terminus. Si enim per vicennium prædium tenuerit emtor, illius fiat gentilitium juxta *Art. 1. Cap. 5. Lib. 5.* tunc a possessione ejus familiæ nullo modo vindicari potest, veluti habet *cit. Art. it. Art. 12. Cap. 5. Lib. 5.* adeoque necessario cessat & expirat Jus retrahendi prioris familiæ, si vel maxime minorennis majorennitatem nondum adeptus fuerit, vel absens in patriam non rediue-

E

rit,

rit, vel ægrotus non conuale^serit, vel ignorans suam probare queat ignorantiam, nullam enim horum ratione limitationem addit Articulus laudatus, nec alios excipit casus, quam si prædium titulo dominium transferendi non habili per viginti hyemes tenuerit possessor, qui prædium suum gentilitium esse contendit. Porro hic in termino prorogato valere nequit regula allata: *Non valenti agere nulla currit præscriptio.* Huic enim, si applicanda vel locum obtineat, addenda sunt ejus sequentia verba, quæ priora explicant, & in quantum applicari queat axioma monstrant, nempe *si alias modo valide agere queat.* Jam vero si rationem Art. 2. & 4. indagamus, nullam aliam esse apparebit, quam ne minorennitate, absentia, morbo vel ignorantia impediti, ne intra annum & diem retrahant, vel intra annum & diem terminum annalem indicando defectum pecuniæ prorogare queant, propter annalem præscriptionem a retractu prorsus præcluderentur. Cum igitur majorennnes, præsentēs, validi & scientes vel intra annum & diem retrahant, vel intra annalem terminum defectum pecuniæ allegare debeant, alias Jus eorum retractus prorsus cessat per *Art. 1. § 2. Cap. 3. Lib. 5.* Ergo minoribus, absentibus, ægrotis & ignorantibus, qui ob minorennitatem, absentiam, morbum & ignorantiam intra annum agere non valent, præscriptio annalis currere nequit. Et quia his eo tempore non currit præscriptio, igitur annum & diem a tempore remoti
im-

impedimenti computandum illis iterum indulget *Art. 4.*
 & non ultra. Unde satis liquet, quod nonnisi termi-
 nus annalis hifce impedimentis prorogetur. Tantum
 enim temporis, remotis impedimentis, impeditis con-
 cedendum, quantum ad præscribendum opus habet
 præscribens, cum a tempore remoti impedimenti cur-
 rere incipit præscriptio. Nec ultra annalem terminum,
 si cum explicatione sua consideramus, applicari potest
 Axioma: Ponamus enim, quod sint majorenes, va-
 lentes & scientes, tamen exacto termino annali, vel
 intra terminum neglecta allegatione defectus pecuniæ
 non retraherent, ergo, si remotis impedimentis valide
 agere nequeant, nec illis prodesse potest Axioma, *non*
valenti agere nulla currit præscriptio. Præterea ubi illud
 obtinet, ibi plane quiescit præscriptio usque dum subla-
 tum fit impedimentum, ob quod agere non valet im-
 peditus, & consequenter tempus quo impeditus fuit
 non computatur cum tempore, quo sublatum fit im-
 pedimentum, a quo tantum terminus præscriptionis
 suum capit initium, uti nuper dictum. In casibus
 autem allegatis etiam annos, in quibus impeditus fuit
 consanguineus minorennis, absens, ægrotus & incius,
 computari abunde patet ex ultimis *Art. 4.* verbis *Og*
siden udi hvert tiende Nar, ester den Tijd at
regne, da Jorden solgt blev.



§. 4.

Nec obstant hic verba *Articuli 14. Cap. 3. Lib. 5.* Børn maae løse det Odels Gods, som deris Fader eller Moder haver solgt udi deris amyndige Nars Tiid, og det inden Tii Nar fra dend Tiid at regne, som de ere blevne myndige, nemlig fra deris Alders Fem og tyvende Nar. *Prædium gentilitium a patre vel matre durante hætenus minorennitate liberorum venditum liberis integrum erit Jus retrahendi, usque ad decimum annum a majorennitate adepta nempe a vigesimo quinto ætatis anno computatum. Quæ salua analogia Legis non aliter interpretanda veniunt, quam quod licet liberi facta oblatione prædii impedimentum nempe defectum pecuniæ intra annum & diem allegare vel ob tenuem ætatem vel ob reuerentiam parentibus debitam neglexerint aut etiam noluerint, tamen Jure retrahendi gaudeant usque ad decimum annum post adeptam majorennitatem, si modo intra istud decennium vel majorennitatem adeptam vicenniali possessione non præscripserit remotior vel extraneus emtor. Nam si simpliciter, & prouti verba jacent, interpretandus esset Articulus 14, liberis etiam competeret Jus retrahendi bona a parentibus primo eorum ætatis anno vendita, adeoque post annum trigessimum quartum a facta venditione, quod per *Art. II §. 12. Cap. 3. it. Art. 1. Cap. 5. Lib. 5.* illis nunquam erit integrum. Nec talis*

talis Interpretatio regulæ artis *favorabilia sunt extendenda;*
odiosa vero restringenda convenit, cum Jus retractus ut-
 pote etiam & quam maxime ratione emtoris odiosum re-
 stringendum sit. Denique si fontem Articuli 14 aspiciamus
 nempe ultimam paragraphum *Cap. 10. Lib. Odels Bal*
fen CODICIS CHRISTIANI QUARTI, observamus.
Concinnatores hæc verba *dog det rygges inden Tre-*
dive Aar* Modo SI INTRA TRIGESIMUM *reuo-
catur annum notanter addere Nouellæ constitutioni seu
 Recessu PETRI HUITFELDII Cancellarii Regni Nor-
 uagiæ JUDICUMQUE PROUINCIALIUM sub CHRIS-
 TIANO TERTIO factò in ciuitate BERGENSI die *San-*
cti Olai Ao. 1557., unde desumpta cit. Cap. 10 §., & per
 quem vim Legis primo obtinuit Jus liberorum revocandi
 prædia gentilitia a parentibus durante minorennitate sine
 oblatione vendita, nam nec in CODICE GULATINGENSI
 nec in VIGENSI nec in FROSTETINGENSI
 nec in EIDSIFFUETINGENSI verbulum de hoc jure li-
 berorum inuenies Optime enim uidebant consumatissimi
 viri, quod longiorem terminum liberis non concedere
 possent, siquidem juxta tenorem ejusdem Codicis emtor
 trigesimo possessionis anno præscriberet, & tali modo illos
 a retractu prorsus præcluderet. Si igitur ultra trigesium
 annum juxta CODICEM CHRISTIANI QUARTI ob-

E 3

ob-

obstantem præscriptionem bona a parentibus durante eorum minorennitate sine oblatione vendita revocare non possent liberi, multo minus præsumendum est, quod per Articulum 14 Jus retrahendi ultra vigesimum annum liberis concedere vellet AUGUSTISSIMUS CHRISTIANUS QUINTUS. Imprimis cum major est fauor Juris reuocandi, utpote quod illicitam & ipso jure nullam præsupponit alienationem, quam Juris retrahendi.

§. 5.

Restat adhuc inquirere, num ultra vigesimum annum terminus Juris retractus gentilitii prorogari possit, & quomodo id fieri queat? Diximus supra, §. 3. *Seç. 2. pag. 22.* quod prædia fiant auiatica possessione ejusdem familiæ vicennali, & e contrario, quod tunc demum auiatica prioris familiæ esse desinant, si extra familiam vendita in possessione alterius familiæ per vicennium fuerint. Adeoque familia Titiana bona sua gentilitia familiæ Sempronianæ vendita, & ab hac post nouendecim annorum possessionem Cajo iterum vendita decimo nono & vigesimo anno postquam Cajus emerit, retrahere queat, indicato modo judicialiter decimo quolibet anno impedimento scilicet defectu pecuniæ, siquidem
nec

nec familia Semproniana nec Caji interea præscripserit,
 & sine præscriptione alterius familiæ bona non desinunt
 esse gentilitia prioris, nec antea cessat Jus retractus.

Arg. Art. II § 12 Cap. 3. § Art. I. Cap. 5. Lib. 5. Hoc
 de prorogatione termini retrahendi bona gentilitia in

Noruegia dixisse breuitas temporis & alia
 nostra negotia iubent esse

TANTUM.





Kopenhagen, Diss., 1680-1790



f
56.






Pri. 11. Rubr. 34.

16

1749, 1

DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA
DE
**PROROGATIONE
TERMINI RETRAHENDI
BONA GENTILITIA
IN NORVAGIA,**



QUAM
FAVENTE SUPREMO NUMINE
ET
SUFFRAGANTE ILLUSTRIS FACULTATE JURIDICA
PRO
GRADU LOCOQUE DOCTORIS
IN CELEBERRIMA REGIA ACADEMIA HAVNIENSI,
INTER FESTIVITATES JUBILÆAS
MORE MAJORUM RITE CAPESSENDO
EXHIBET,
**FRIDERICUS CHRISTIANUS
SEVEL,**

JURIS UTRIVSQUE LICENTIATUS, ET A SAC. REG. MAJ. SECRE-
TARIO JUSTITIE IN COLLEGIO CAMERALI SUBSTITUTUS,
PARTIBUS RESPONDENTIS
FUNGENTE
NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
HENRICO FRÖLUND.

IN AUDITORIO SUPERIORI AD DIEM XIII OCTOBRIIS MDCCCLXIX.

HAVNIÆ, TYPIS CHRISTOPH. GEORG. GLASINGII.

Bei Hoff. Kalze Kettelbach in Halle

